Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 195
Quelle:
Copyright:

dum circa aliorum librorum inicia ſolitum eſt ſtatui premittere &c.

II. *fol.* 154. p. 2. ſequitur *Lectura* altera hoc initio: *Lecturus Epiſtolam ſummi doctoris gentium b. pauli ad Col. 1° aggrediar argumentum ſeu prologum &c.* Ad calcem Autoris nomen indicatur miniatis literis M. W. H.

III. *fol.* 181. habetur alia Expoſitio *Exodi* a C. VII. ad XX. quod v. 12. his verbis abrumpitur: *Coram cano capite conſurge. Sed patres* —. Neſcio, an ad eundem *Heindelium* referenda ſit.

IV. *fol.* 217. finem faciunt Dubia ſeu Quaeſtiones circa *Exodi* Caput XX. et ſequentia, quae plurimum Legem veterem et Decalogi Praecepta reſpiciunt, et ad priorum Autorem pertinere videntur; eas vero in Dubio: *Vtrum fuerint congruenter tradita precepta iudicialia*, imperfectas deſtituit Librarius.

CXXVII.

R. 916 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 306. f. per duas columnas diligenter exaratus, coloribus diſtinctus et olim Collegii S. J. *Viennae* continet F. *Nicolai de Lyra* O. M. *Poſtillas* in ſequentes S. Scripturae Libros: *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, *Regum*, *Paralipomenon*, *Esdrae* I. *Nehemiae*, *Eſther*, *Job* et *Pſalmorum*. Integra omnia, ut deinceps ſaepius et ſeorſim et in *Bibliis gloſſatis* lucem videre. A *fol.* 69. p. 2. ad *Librum III. Regum* viſuntur Picturae decem lineares non inconditae ad *Salomonis* Templum pertinentes. Ad Codicis calcem legitur: *Explicit poſtilla ſuper librum pſalmorum Edita a fratre. N. de lyra de ordine fratrum minorum ſacre theologie doctore. Anno domini. M°.* CCC. XXVI. Scriptura Codicis certe Seculi XIV. ineuntis eſt. Vix tamen credibile, τὸ *Edita* ſignificare, ſcriptum fuiſſe a. 1326. niſi illum dicamus ἀπογεγραφον eſſe e primis et quaſi ſub Autoris oculis paratum; omnes enim conveniunt, *Nicolaum Poſtillas* ſuas in univerſa Biblia a. 1292. coeptas a. demum 1330. ad finem perduxiſſe. Igitur τὸ *Edita* ita fortaſſis accipiendum, ut partem *Poſtillarum* hoc Codice contentarum, vel ſaltem *Pſalterium* a. 1326. abſolverit. Interim tamen ſemper Exemplum noſtrum e primis erit, et exaratum ante Autoris mortem, quam referente *Waddingo* Lapis ejus ſepulcralis *Pariſiis* ad a. 1340. defigit, licet in Tabella marmorea e regione Sepulcri collocata legatur:

A cruce tu cujus (Chriſti) *numeres ſi mille trecentos*
Adjungens unam quattuor et decades.

Unam errorem typi putem; ſecus enim haberemus annum 1450. *Fabricius* et *Hambergerus* mederi cupientes reponunt *uni* intelligentes annum, ut ſit 1441. Verum neque ſic omnis ambiguitas tol-